

Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic ad omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt: Item, Novi, quod in me, hoc est, in carne mea non habitat bonum.

August: de
verb.
Apost.
Serm. 4.

17. Priorem illum Apostoli Aphorismum D. Augustinus argute admodum explicat, inquiens: Pertransijt, pertransijt: Verbum attendite: Quod audivistis, considerate: Videte, quid est, pertransijt? Inde est & parvulus reus: peccatum non fecit, sed traxit: Etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertransijt, non in illum aut illum, sed in omnes homines pertransijt.

18. Ex quibus primùm de etymo hujus vocabuli (peccati originis) constat, sic nimirum illud indigetari, non respectu rerum creaturarum initij: sed ratione propagati generis humani ortus.

19. Deinde de causa etiam Efficiente propinqua, quæ est Adam, per quem, Apostolo teste, peccatum in mundum intravit, de qua, ut & causis peccati reliquis remotioribus, in ἐναλύσει Articulì decimi Noni nobis erit ex professo differendum.

20. Tandem etiam ex his scripturarum testimonijs de complexu sive latitudine hujus peccati potest fieri iudicium.

Quorum